… Annae a Sztembergk.

Jaroslaviensis Soc. Jesu Collegii Monumentum gloriae magnis manibus Annae a Sztembergk, Ducissae in Ostrog.

MONVMENTVM GLORIÆ MAGNIS MANIBVS ANNÆ A STEMBERGK DVCISSÆ IN OSTROG PALATINÆ VOLHINIÆ,

A

NOBILI IVVENTVTE COLLEGII IARO-SLAVIENSIS SOCIETATIS IESV

ERECTVM.

CRACOVIÆ,

In Officina Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno Domini, M. DC. XXXVI.

5.

VITÆ
BREVIS
EST CVR-
SVS, GLO-
RIÆ SEM-
PITER-
NVS.

Cicero.

ILLVSTRISSIMIS DOMINIS, DD.

STANISLAO
COMITI IN WISNICZ
LVBOMIERSKI
TERRARVM RVSSIAE PALATINO.

THOMÆ
IN ZAMOSCIE
ZAMOISKI
CANCELLARIO REGNI.

ANNÆ
DVCISSÆ IN OSTROG
CHOTKIEVICIÆ
PALATINAE VILNENSI.

PETRVS PRZEREMBSKI,

Castellanides Siradiensis,

C. & F.

N*Vnquam non appetens suæ immortalitatis exaggeratus mortalium animus, Illustrißimi Domini, cùm virtuti Heroicæ æuiternum quæreret Trophæum, Pyramides immani mole aspectabiles, Colossos orbis miracula, magnificentissimas Apotheoses, exhaustis ad Pompam, Prouinciarum ac Regnorum sumptibus, adinuenit. Parua tamen est omnis, quæ virtuti excitatur Maiestas; exile vterq; Orbis præmium. Infra il-*

lam est, quicquid admirabilis hæc terrarum suspicit Orchestra. Punctum est nunquam non impar illius magnitudini, quicquid magnum æstimat Mortalitas. Ipsa namq; Virtus sibimet merces est pulcherrima, ipsa sibi Mausoleum & triumphalis Obeliscus. Quod humana Ambitio in cœlum extulit, sternet aliquando Tempus, & ruina nobili totam ipsius tumulabit Gloriam. Humani enim nihil est, quod Temporis non sit spolium. Virtus autem quicquid admirandum in lucem ediderit, stabit ære perennius, quia excitatum Æternitati. Neq; verò Zeuxis penicillo & Policleti eruditâ in ducendis ex ære vultibus manu opus est, vbi Virtutis desudat industria. Quare cùm Illustrißimam, inter tot præclara Sarmatiæ lumina, Ducissam in Ostrog Virtus ipsa suis expresserit coloribus, & tanquam singulare suæ monumentum dexteræ, non vni tantùm Poloniæ, sed toti Regnorum vniuersitati spectandum proposuerit: quis est, qui ab Apelle aut Lysippo tantæ tamq; Heroicæ probitatis Ideam velit esse expressam? quorum operam ne Magnus quidem Macedo tantùm ambiisset, si nôsset Virtutem præstantiorem pingendi ac fingendi magistram esse. Quod si Illustrißimæ vitæ integritas augustum & Virtutis manibus elaboratum est opus, non potest non esse ad inuidiam & miraculum. Libitina quidem capacem magno illius cineri Vrnam, & magnis mortalitatis exuuiis Ducale Mausoleum fecit: sed animo & virtuti, quibus totus hic minor est Orbis, quis potest poni sepulchralis terminus? Quærendus ipsis fuerat æternitatis orbis, siquidem eorum magnitudinem non capiebat mortalitas. Matura igitur cœlo mens, relicto fragili & morborum ac fortunæ variis concusso procellis corpore, acceßit illis Beatæ Nobilitatis atriis, viua & plena maiestatis imago Virtutis. Splendet inter cognatos Duces ac Reges, & quam viuens animo contempserat, subiectam calcat fortunam & Orbem. Et quamuis nostris lachrymis non gaudeat Ducalis ipsius Humanitas: certantium tamen in pompæ parentalis apparatu studia amat, & solita vultus serenitate intuetur. Intuetur illa è cælesti regia togatam squalore Poloniam ad suos prociduo vultu deuolui Manes,

nes, &

nes, & quòd suorum promeritorum splendore luxerit gratias immortales agere. Spectat à Russia tot bellatorum ac Heroum parente, cuius in cœlo paulò ante pulcherrimum fulgebat sydus, fæcundissimum sibi ad Augustos cineres deponi Cornu Copiæ. Videt Hungariam tristi attonitam nuncio, turgentes non vino sed vbere fletu vitium racemos, suo funeri exornando adferre: Valachiam pro gemmis lachrymas fundere: ipsam deniq; Pomeraniam, cuius fortunæ ac merces sub Ducalis mitræ præsidio semper latebant, suæ securitatis lembum ad Mausolei tholum appendere. Meritò sanè. Ducalis enim maiestatis Sedes, quam nunc pullatus occupauit dolor, fuit ante exteris mercatoribus fida statio, fuit variarum gentium portus atque emporium, fuit litigantibus Areopago æquius tribunal. A nobis autem qui tot à tanta Matre beneficiis copiosè ornati sumus, quod grati animi honorarium, dignum piis & Augustis Manibus afferri potest? Hoc quidem vnicum de Ducali Humanitate conqueri possumus, & iniuriæ loco agnoscere, quia viuemus & moriemur ingrati, nam semper maximæ beneficentiæ gratiis referendæ impares futuri: monumentum tamen literarium Ducali excitamus gloriæ, & Sapientiam beneficiorum memorem ad gloriosum bustum, Cineresq; laureatos euocamus. Hîc illa virtutes Heroicas, & auita stemmata, hîc Illustrissimæ prolis ac Consanguineorum luctum, hîc Patriæ lachrymas omnibus proponit spectabiles. Totum ergo quidquid celebritatis inter sepulchrales faces elucescit, Sapientiæ opus agnoscite; nam vbi eloquentia diligentem cæpit vibrare stylum, grauissimo pondere rerum succubuit, & quia minùs pares afferebat lacertos ad panegyrim tantæ Heroidi, hunc libellum attulit, cui se potius ipsa Ducalis Gloria tanquam Æternitatis fastis inscriberet, & qui ipsa alti Nominis Maiestate territus, lachrymis impeditus, satis habet, si nobili velatus Cupresso ad Ducale consistat Mausoleum. Vobis verò Illustrissimi Domini, clarissima Tantæ Heroidos lumina, sese committit hoc lugubre

 gubre

gubre monumentum; Vestram facilitatem prensat, à Vobis eo vultu cerni postulat, quem viri fortes & è vulgo mortalium exempti, maximo in luctu habere consuêrunt. Vestra sunt ista Decora & Ornamenta, quibus hoc Mausoleum collucet, Vestræ Felicitatis ac Gloriæ meßis, Vestrarum Virtutum, quarum Hæredes ex asse facti estis, pulcherrimum exemplar. Fouebitis proinde singulari beneuolentiâ hos nostros conatus, & in sinu Humanitatis ac Celsitudinis Vestræ conquiescere patiemini.

MONVMENTVM LACHRYMARVM.

HOC

Pietas recondit illius cineres, quæ in tenui ac ſiniſtra Fortuna cæteris Pietas fuit.

E GEMMIS COACTVM DIXERIS:

Nam & lachrymæ concreuêre in gemmas.

Felicior hic Ros ex æſtuantibus Amore diſtillatus cordibus, quàm antelucani vapores.

Feliciùs in omnium gemmeſcit oculis, quàm Auroræ lachrymæ, quæ marinis conglaciantur in conchis.

Flentibus quandoqúe Heliadum ramis, dum guttat gemma ſuccina, nobilem obſtanti feræ factitare ſolet tumulum: hîc Auguſtiſſimæ Heroidi colliquefacta lachrymarum Cryſtallus, ſeu lenè rorans doloris electrum, ſumptuoſum ſuggerit Sepulchrum. Faceſſat hinc execranda & Faſtorum labes maxima Copronymi barbaries, quæ DIVÆ Euphemiæ lipſana in æſtus exterminauit marinos, feciſſetq́; ventis ludibrium ac Cetis, niſi hi ſuâ Pietate crudelitatem Cæſaris maluiſſent vincere. Impietatis hic fuit Genius. Alio ſuprema Pietas ſe oſtentat ingenio. Hæc Illuſtriſſimæ Duciſſæ ac Parentis omnium dulciſſimę Cineres in amarum honorificentiùs coniecit mare, quod non cæleſtis Hydrochoi aquæductibus,

B 2 nec

nec eiulantium Pleiadum luctu excreuit, sed copiose manantium, è totius mærentis Poloniæ oculis, lachrymarũ alluuione intumuit. His Augusti cineres lauantur Thermis, his sudant opobalsamis, hoc nunquam exarescunt tumulo.

Ergonè funereo deerunt sua frena dolori?
Et sine lege cadent flumina salsa genis?
O dolor! ô quantos tibi dat Libitina triumphos?
Et renouat cæcis vulnera quanta fibris?
KOSTKARVM Cynosura Domûs, Cœliq́ Poloni,
Cynthia, iam fatis occidit ANNA suis.
ANNA vel Heliadum lachrymis, Niobesq́ dolore
Deflenda, & Lechici flos Adamasq́ soli.
OSTROGIAS fluctus lachrymarum obnubite Lunas,
Induat & pullam lucida Stella togam.
Atropos OSTROGIVM mersit Titana doloris
Æquore, KOSTKARVM mersit & illa iubar.
Currite luminibus Crystallina flumina, gemmæ
Currite, quas trudit corde gemente dolor.
Nec satis Ostrogias fletu imprægnare tiaras
Luctificisq́ Ducum tecta ferire sonis.
Pergite iam lachrymæ, cataractas rumpite vestras,
I, consanguineo flumine cresce dolor.
Purpureum latè stagnans Srzeniawa per æquor
Ire tuis faciat nunc Cataclysmon aquis.
WISNICII geminent feralia murmura fontes,
Cùmq́ suo paruus gurgite Danubius.
En iam Srzeniauiæ plangunt sua pectora Nymphæ
Mergitur in lethi dum sua Tethys aquis.
Vos quoq́ ad indomitos, ZAMOSCIA pergama, lessus
Inuitant; mæstis vapulet aura sonis.
(ANNA, Domûs SARIÆ, letho data præda, voluptas.
Extinctum nostræ sidus amorq́ plagæ.

Sic So-

Sic SOLEA in Circo vitæ bene figere gressus
Docta, sepulchralis (te fouet vrna sinu!)
Vos iubet atratis mæror tenebrescere velis,
Et Vestram in lachrymis pandere vela ratem.
Nunc SARIA informi sudent hastilia luctu,
Nunc in vulnifici tela doloris eant.
Nunc Domino ternis intra præcordia telis
Occasus SOLEÆ vulnera terna ferat.
Sed iam quæ quondam latus induit hasta dolore,
Et quæ sanguineis ostia fecit aquis,
Nunc gemit in luctu frontem redimita Cupresso,
Et SOLEÆ cladem docta dolere, dolet.
Nec tamen hîc vitreis oculorum ponitur vndis
Terminus: in tepidis lachryma cresce genis.
Ingeminet lamenta dolor, gemat accola SANI,
Et quæ SANVS aquis alluit, arua gemant.
Astra suis pulset ploratibus Aula Ducissæ,
Orbaq; conspectu limina dulcis Heræ:
Occidit hêu nostri monimentum & pignus amoris,
Occidit in nostro spesq; salusq; sinu.
En noua crudelis consurgit scena doloris,
In lachrymis ANNAM vult tumulare suis!
En conuulsa suo lare IAROSLAVIA planctus
Aggerit in piceo præfica facta peplo.
Illa nouos lachrymis vocat ad lamenta colonos,
Et tristem accendit voce gemente Iouem.
Per fora, per Circos, per compita, tecta, penates,
(ALMA obijt Mater,) nocte dieq; sonat:
Tristè gemit vulgus, gemitusq; expectorat alto
Pectore, neglecto fœmina virq; lare.
Hic vult Nestoreo benefacta Heroidos ore
Promere, sed Suadam strangulat ore dolor.
Ille Ducem titulis ornat, mistusq; dolori
Accumulat titulos ingeniosus amor.

Aduolat ad Magnos Manes, ſed dextra negatur,
Cuîq; ſuos Manes ſtat ſine Matre pati.
Tota doloriferis immurmurat aula ſuſurris:
Occubuit noſtris heu panacea malis.
Fletu tota cohors famulorum diluit eſcas,
Deliciumq; ſua plangit obiſſe domus.
Ille ſuis lachrymis Cippum fœcundat herilem,
Iſte parentali Iuſta dolore facit.
Vulnus amicorum (vera eſt vox) ſentit amicus,
Et Mecœnatum funera, quiſquis amat.
Vt minor augeſcit maiori Mulciber igne,
Sic creſcit lachrymis atq; dolore dolor,
Vna hæc in plenis cantatur Nænia Circis:
Occidimus (quid adhuc ſtas Dolor?) occidimus.
Tenè ego te letho prædam cecidiſſe Ducalem
Audio? tu noſtræ lapſa Corona domus?
Meſſuit OSTROGIAM tibi iam Libitina tiaram?
KOSTKARVM rapuit iam fera Parca decus?
Illanè maieſtas vultus, lux illa ſepulta eſt?
Quâ Pietas quondam ſederat atq; Charis:
Illa manus ſceptris & faſcibus apta, clienti
Fundere non poterit iam benefacta ſuo?
Occidimus. Mater cecidiſti noſtra; Parentis
Fas ſit morte mori, fas ſit amore mori.
Occidimus; ſed lingua ſilet iugulata dolore,
Lachryma pro verbis officioſa ruit.
I dolor, & lumen lachrymarum egurgitet vndas,
Irrequieta ſuo corda dolore natent.
Vel iam ſiſte dolor, lachrymis dolor obſtrue fontes,
Iam ſalſis noſter pontus abundat aquis.
Æquoreo quondam tumulatus marmore Præſul
CLEMENS, huîc gremium Nereos vrna fuit.
ANNA ſed à STEMBERGK, lachrymis tumulabere noſtris,
E lachrymis, Cineres quod tegat, æquor erit.

PAVLVS KOSTKA.

MONVMENTVM ÆTERNI AMORIS.

BVSTVM EST, SED AD GLORIAM,

In quo rariſſima Togatæ Poloniæ Phœnix, ſuauè fragrantibus Amicorum concrematur ignibus, etiam poſt cineres victura.

Hanc quippe decuit nunc in lachrymarum conquieſcere Oceano, nunc in igne Amoris ſortiri monumentum, vt quamuis ex iſto terrarum Circo videatur eſſe extorris, noſſet tamen ſibi huiuſmodi Aquâ & Igni nunquam interdici potuiſſe.

Romanas Buſtum hoc imitatur Pyras,

Non tamen ſuperſtitioſum Gentilitatis Faſtum.

Molem hanc crederes lignis coactam cedrinis aut odoratis fruticibus; ſed Amoris incendium nobiliore alimento paſcitur. Ergo è ſtrue Cordium tot flammas, quot beneuolentiæ affectus, expirantium tam fortunatus conſurgit Rogus. Concatenata hîc Corda, ad cohoneſtandos Illuſtriſſimæ Duciſſæ cineres, animorum conſenſionem loquuntur.

Quis hunc funereâ incendit face?

An non tota Illuſtriſsimorum conſanguineorum Natio & totius Regni Pietas? Auerſonè vultu? (vt olim Quiritibus placuit) ſed talem nulla vnquam Fortunæ inclementia aſpexit. Aduerſo igitur, quia libentiùs talibus Amor delectatur flammis, quàm furor Neronis Romano incendio.

Hîc tandem ſpectare eſt
Amphitheatrũ Honoris, non ſanguinis:
Vbi non buſtuarij Gladiatores mutuis debacchantur vulneribus, ſed luctu ſquallentes propinqui ſupremis inter ſe certant officiis.

Neq; verò deſideratur Aquila ſupra Pyram euolans: nam hæc, quæ Poloni imperij inſigne eſt, candore ſuo ciuium Polonorum luctu decolorato, Illuſtriſſimæ Soleæ Gloriam vſq; ad aſtra euehit. Quinimò ſi olim Auguſtos Diuos eſſe voluit Antiquitas: huic etiam Auguſtæ faceret Apotheoſim, ſi Superis placeret.

EHeu quàm rapido turbine voluimur
Fatorum atquè Tyches? currimus orbitam
Vitæ, mox lubrico tramite labimur,
Et mors præcipitat dies.
Nullius rigidæ ſtamina pollicem
Declinant Lacheſis, nullus & Æaci
Vrnam iuridicam concutit, inuidæ
Quin Morti cadat hoſtia.
Felix qui poſito tegmine corporis
Viuit parte ſui; poſthuma cuî litat
Virtus cum memori nomine gloriam,
Illo nemo beatior.
Non huîc Aſſyrijs fata vaporibus
Obſtetrice rogo nubila ſuppetent,
Viuo vt Sarcophagi puluere patrij
Hæres ſanguinis euolet.
Non ſi depoſitas arca gemens opes
Paßis in tumulum prodigat oſtijs
Arrodenda ſitu corpora ſquallido
Eſcam vermibus auferet.

Nec ſi

Nec si sudet onyx myrrheus, artubus
Inuergens medici pharmaca balsami,
Seruabit meliùs membra superstiti
Illibata putredini.
Cernin' quod SOLEÆ se iubar exerat
A STEMBERGK, *triplici quam cruce nobilem*
Augusto redimit desuper ambitu
Magnorum mitra Principum?
Non huîc Vngaricis eruta collibus
Gleba, aût auriflui diluuium Tagi,
Aut Gangis tumidi gemmifer alueus
Æternos peperit dies;
Non à funereo vindicias dedit
Cippo; sors similis sceptra ligonibus
Æquat, cum luteis ædibus aureas
Æquo subruit impetu.
Hanc non tam patriæ sceptra potentiæ
Formosis proauûm consita laureis,
Cerarum series non memorabilis
Transcripsêre Nepotibus;
Quàm candor fidei, priscaq; sanctitas,
Diuinisq; Themis cincta cohortibus
Virtutum, Superis tradidit obsidem:
Sic morum tenor aureus
Et Gentilitij blandior Imperj
Maiestas, tacitæ non sinit immori
Nomen Sandapilæ, sed iubet inclytam
Clio scribere posteris,
Et per Nereidum regna loquacibus
Mandat ferre Notis, nubibus insitum
Inscriptumq; Poli pegmate præmiat
Æuo non remeabili.
Cernin' quis Soleam Vesbius vstulet?
Quos eructet amor pectoribus focos?

Quas

Quas ANNÆ cineri ſurgere vult pyras
Moles edita cordium?
Vt denſis SOLEAM *lambat odoribus?*
Quales non Libyci ſpica parit iugi,
Quales areolis non metit Indicis
Collis meſſor Achæmeni.
I nunc, Roma, tuis buſta Quiritibus
Emolire, licèt depluat in pyram
Regnorum pretium, vel lachrymet frequens
Nili delicias onyx,
Auguſto SOLEAE *nobilior rogo*
Non ſurget, paribus quem ſtudiis amor
Ignit Lechiadûm, diuite lachrymâ
Spargit tota Polonia.

CAROLVS PRZEREMBSKI,
Caſtellanides Siradienſis.

MONVMENTVM ÆVITERNÆ MEMORIÆ.

HOC

SOCIETAS IESV

NVNQVAM NON DVCALIS BENEFICENTIÆ MEMOR CONATA EST PONERE.

Sed tanti operis dignitati ſentit ſe impares impenſas, imò vix pares conatus afferre poſſe. Quare ad ipſius Ducalis Humanitatis Maieſtatem ſupplex prouoluitur, oratq́; , ipſa ſibi architectetur dignum ſe ac OSTROGIO Nomine Mnemoſynon munificentiæ. Nouit enim Dædaleam ipſius ac benè doctam ad erigendas tam magnificas moles dexteram ; & putat id etiam beneficij futurum ſupremum faſtigium ac complementum gratiarum. Gratias quidem plenis palmis capiebat SOCIETAS dignas maieſtate Ducali, ſed tantis gratijs dignas referre non poteſt. Ducalis certè munificentia illi fuerat & cella penaria, & bonorum Gargara, & melioris Fortunæ auctarium, & ſolicita pro aris & focis Maieſtas, & tandem Mœcenas ac Parens. Nunc deniq; SOCIETATIS vectigales redimẽs gratias, ipſa ſibi erit penus copioſiſſima Gratiarum, agnoſcetq́; eam æterno mancupio & nexu ſibi deuotam eſſe.

CEris Auorum nobiles LECHI nurus,
Regum propago fortium,
Semper Tiaris Principum, ſemper mitris,
Non erubeſcendâ rudis

Ab vſq; PIASTI lineâ, clarum genus,
Gazis potentes fœminæ,
Animæq;, quales Virginum quondam tulit
In bella pugnatrix cohors,
Belli ſeueris imminere laureis
Quas alter heu ſexus vetat,
A Marte & armis inclytum quibus Tyche
Nouerca nomen inuidet:
Vos & Polonis faſcibus, ſceptris procul
Vſuq; fortis Imperj,
Non inuidendis æmulus Curulibus
Quanquam Senatus arceat,
Negetq; famam rara quæ cineri Comes
Neſcit ſuperſtes immori:
At non inani poſthumus rumor tubâ
Ad buſta vobis occinet,
Nec lucis vnquam vel nitoris indigum
Tantum Paterno lumine
Tumulis perennem Sidus accendet diem:
Abſint cruento nobiles
Ferro Sariſſæ, quas Honos OSTROGIAE
Lunæ maritus commodat.
Et abſit Amnis vitreus leni vado
Vehens phaſelum Patriæ.
Nec Gryphus vllus enſe vulnifico vigil
Æternitatis aureæ
Ad buſta cuſtos excubet, quondam truci
Fatalis Oſmano & Getæ;
Viuetis extra temporis ludibria
O Matris exemplo piæ,
Non vſitatis artibus perennia
Doctæ paciſci ſæcula;
Æterna degit luſtra ſic Princeps, ſuper
Egreſſa vitæ turbines,
Suo beata, nulla quod terris nocens
Olim vetuſtas ſubruat,

Viuet-

Viuetq; : Diuis ſtructa dum fauentibus
Delubra Sanus alluit,
Donec Supellex aurea, & gemmæ rigent
Cœlo fauenti ſupplices.
Donec ſuperbis diues aulæis tholus
Auroq; Cœlites micant.
Donec ſub aſtra ſuſus argento pias
LOIOLA palmas porrigit.
Donec pyropis igneis, donec graues
Aræ ſmaragdis fulgurant,
Auroq; & oſtro ſplendidi Myſtæ ſonis
Non ſurdus æther conſonat,
Donec reclinis aureo Cyrus Throno
Sub Vite maior aurea
Placatur Vrbi, & gemmeam Cœlo ſuis
Pacem colonis annuit,
Ieſſæa Virgo dum ſinu infantem gerit,
Exſculpta Lyſippi manu,
Flos illa campi, cui ſuum inclinat caput
Sanæa Nympharum Cohors,
In vota denſos dum trahit vulgi greges,
Ceris & argento frequens:
Dum Parthenonem virgo Veſtalem colit,
Et ſupplices tendit manus:
OSTROGIA donec NATA, vicinis ſtudet
Aſtra æmulari turribus,
Paruis Athenas auſa mox Quiritibus
In Vrbe moliri ſua,
Doctiq; Cecropis porticus, & Romulis
Amica Muſis atria,
Viuet perenne Gentis OSTROGIAE decus,
Viuet Ducalis Gloria.

NICOLAVS WAPOWSKI,
Caſtellanides Præmiſlien.

MONVMENTVM GRATIARVM.

HOC MAVSOLEVM EXISTIMA,

Quod non Artemiſiæ, ſed Gratitudinis ſtetit impenſis.

Non áère dependens vacuo; ſed in ſolidiſſima Conſtantiæ ac Perennitatis fundatum baſi.

Non ſpirans inanitatem, vt cuiuſdam Arca Gratiarum; ſed plenum obryzo Charitatis;

Non ex Tænario marmore, ſed ex ipſis gratiorum affectuum amethyſtis concinnatum.

In quod non Rex Cariæ,

Sed Illma ANNA à STEMBERGK, &c.

ſuæ mortalitatis theſaurum

Depoſuit.

Porrò ſi grata connubialis Fortunæ coniunx Mauſoli cineribus in aurea phiala breue monumentum priùs poſuit, quàm illos pro Regni ac Ciuium ſalute ſibi propinaret, ac biberet multò lætiùs, quàm liquatam Cleopatra gemmam: ſi eiſdem epotis, alium intra viſcera longè excellentiorem, viuâq; conſtratum purpurâ Sarcophagum fecit, imò ſeipſam illis ſeruandis vrnam eſſe voluit: Hîc profectò Gratiſſima Patria, nō tantùm in generoſiſſimo lachrymarum Falerno Auguſtæ Duciſſæ cineres eliquat, & mæſtis propinat Ciuibus pro æuiterna ipſius Salute, ſed etiam in intimis animorum penetralibus

tralibus

tralibus excitat illis monumentum ære perennius. Neq; verò Patriæ tantùm ista est Pietas, sed etiam totius Nobilitatis Polonæ, & Ducalis Propinquitatis: quæ eò alacriùs tam nobilem ac pretiosam lipsanothecam Illustrissimæ Ducissæ cineribus elaborauit, quò maiores Diuis illius erga se promeritis honores debuit. Par sanè fuerat eam in omnium animis tantâ gratiarum non carere luce, quæ sibi suis rectè factis lucem abundè attulit.

NOn, si superbam Dædala dextera
Molem sub ipsas ætheris orbitas
Educat, æmulumuè pegma
Niliaco statuat Canopo,
Aût inuidendum sideribus caput:
Æquabit istud, Patria gratior
Quod Gloriæ STEMBERGIANAE
Sidereos locat inter ignes.
Fastigiatæ tecta superbiæ,
Arcesque Regum, & turrium aheneæ
Nutant columnæ, si futuræ
Accelerans spolium ruinæ
Immurmuranti nube Diespiter
Flammas trisulci fulminis euibret,
Aut si cuniculis abyssi
Hippotadæ furiæ irruentes
Terræ pauimentum & caua viscera
Denso fatigent ariête turbinum,
Crebroque Caurorum tumultu
Succutiant, pauidoq; tentent
Orbi ruinam. Nil manet integrum,
Tellure quidquid succiduâ super
Amens locâris: tutiora
Conde animis monumenta gratis.

Vitæ tenacem pyramidis basim,
Quam Gratitudo fulcit, & obsidis
Deuota promptitudo cordis
Cuî memores animos reclinat,
Nec turbulenti seditio Noti
Iniurioso proruit impetu,
Nec bella telluris sub antris
Æolidûm properata fratrum.
Hæc sola magnas sospitat indoles,
Solesq; transfert Gloria, Temporis
In æuiterni sumptuosam
Caniciem, celeremque fati
Moratur orbem. Discite Principum
Regumque mentes, merce volubili
Æternitatem nundinari
Nominis, & meritis sequacem
Mercari Olympum. Sic decet inclytos
STEMBERGIANI Sanguinis, & simul
Virtutis hæredes, labore
Herculeo, precioque morum
Parâsse Magni nominis essedum,
Quod Gryphus alæ remigio celer
Inhospitum Titanis vltra
Hospitium, super & remoti
Gibbos Atlantis vectat, & Herculis
Vltra columnas: emeritum polo
Dum sacrat Ensem, laureasque
Sidereo statuit theatro
Olim relatas: seu Mahometica
Phœbe cruenti cornua sideris
Incocta tabo barbarorum
Dalmaticis replicaret oris:
Seu perduellis perniciosior
Moschi Gradiuus, fœderis integro
Frustra Sacramento tenendus,
In Litauum rueret Trionem.

Idem

Idem Coluris Phoſphoreis ſtupet
Fixas Tyrannis immedicabiles
Haſtas ZAMOSCI: quas paueſcit
Mars rigidi pharetratus Iſtri,
Queîs nomen alto Gloria marmori
Inſculpſit, oris Patria quas ſuis
Tutamen immotum, ſuiſque
Relligio decus addit Aris.
Quin & propinqui ſtemmatis alueum
Exire ripîs gaudet hiantibus,
Fluctuſque turgentes Fluenti
Ire polo LVBOMIRSCIANI,
Gnarus, quòd vndet fonte perennius,
Aut infidelis ſubruat oſtia
Iſtri, Gelonorum innatantes
In Patriam reuehatque Lunas.
Aut euaganti littore diuitis
Vndæ metallo plenior obſitos
Inundet agros, aureoque
Amne fluat populorum in arua.
Ergo Beatæ ſceptra Poloniæ
STEMBERGIANAE GENTIS adoreis
Florent, ſuoſque olli rependunt
Per Charitum monumenta Amores.
O qui Coloſſis illachrymabilem
Times ruinam, parce leui metu:
Immune Fati eſt, quod perennat
Viua animis meritiſque moles.

CAROLVS WAPOWSKI,
Caſtellanides Præmiſlienſis.

MONVMENTVM
GENTILITIÆ FELICITATIS.

Quod

Propylæum quoddam ſeu Auguſtum Atrium in Ducalis Gloriæ Palatio rectè nuncupaueris.

Heroum Romanorum atrijs, (vbi plena ceris & fumoſis maiorum imaginibus, tanquam in theatro quodam, Illuſtrem in modum perſonata ſeſe oſtentabat Nobilitas) minimè Maieſtate ceſſurum.

HOC

ILLVSTRISSIMAE DOMINAE,

D. ANNÆ A STEMBERGK, DVCISSSÆ IN OSTROG,

Auguſtiſſima reſerauit Familia, poſthumo ſuorum dolori, & æuiternæ cæterorum memoriæ.

Mirabere hîc

Longam Illuſtriſſimi Sanguinis ſeriem. Aſpectabilem auitæ Gloriæ antiquitatem. Nunquam ſatis ornatam tot ſæculorum famâ Paterni Materniq; generis dignitatem. SOLEA hîc tot Honoribus refulgens, lucem afferet tibi, & monſtrabit KOSTKARVM Gloriam, animoſq; ad ſuprema natos: quorundam ſupra omnem Fortunam vſq; ad Glorioſam Beatorum Apotheoſim elatos, quorundam

ſceptri

ſceptri etiam Poloni aliquando candidatos. Clariſſimus verò ODROWAZIÆ Conſanguinitatis Splendor, tot Ducum Maſouiæ, tot Ducum ac Regum Poloniæ, tot Imperatorum ex CIMBARCA Duciſſa Maſouiæ, ſpirantes nunc Martem, nunc Togam, in imagine vultus ſpectandos offeret.

Sed quia totum huiuſce Illuſtriſſimi Generis Archetypum ſitus nunc deformauit & ſqualor. Lucem hanc Maiorum, Sole ipſo ſereniorem, nubes Doloris obduxit. Diem quam faciebant tot Soles, quot Proaui, nocte ſepulchrali feralis Libitina contexit. Magnificos magnorum Heroum vultus, decumana lachrymarum obnubilauit tempeſtas. Tu quoque, tam luctuoſa ac penè viua mœroris ſimulachra intuens, tantæ maieſtati lachrymis parentalibus litabis, eamq; deiecto ad complorationem adorabis vultu.

Spectabis denique, ſi tamen rorantibus fletu oculis ſpectabis, Illuſtriſſimam cum tot florentiſſimis Familijs Sanguinis coniunctionem, in Clypeis Honorarijs, vel ſi mauis aureis tabulis exaratam, per Arma ipſorum Gentilitia, cum KOSTKARVM inſignibus æterno ſociata nexu.

Hoc Monumentum Honoris, funeralis Propylæi ſuſpendit tholo, plena luctus Illuſtriſſima tot Gentium Proſapia, ad ſolennem ſupremi officij pompam, ad lugubrem ſui nominis ſplendorem, ad ſplendidum intuentium luctum.

Fruſtra Æneadûm Princeps ſuum iactat Ancile, Cypriæ Mnemoſynon Deæ, Vulcaniæ argumentum dexteræ, in quo res præclarè geſtas Heroum Romanorum affabre incidit cœlum. Dignior eſt multò horum clypeorum magnificentia.

ILLVSTRISSIMA DVCVM IN OSTROG FAMILIA

Connubiali iure KOSTKARVM Domui æternùm coniuncta, clypeum defigit

ILLVSTRISSIMAE DVCISSAE IN OSTROG-

ANNÆ A STEMBERGK,

Sacrum.

In quo Cynthiam armatam iaculo ac Sydere, SOLEAM munitam Crucibus, vtramq; sibi oppositam & mutuo sese illustrantem lumine insculpi voluit.

LVCE SVA SECVM CERTARE PARATÆ.

O*STROGIÆ* SOLEA *est* KOSTKARVM *iuncta Dianæ,*
Iunxisti OSTROGIAS *huîc Hymenæe faces.*
Hîc SOLEA *affulget bene terso argentea vultu,*
Illic argento splendida Luna suo.
Illic ostentat cum sidere Cynthia telum,
Hîc SOLEA *Augustæ Symbola terna Crucis.*
Illic nata polo Phœbe splendere Polono,
Hîc SOLEA *in Lechico nata nitere solo.*
Mutuet an patrium, dubites, hæc lumen ab illa;
Vtraq; nam radios auget vtriq; suos,

ANDREAS FREDRO.

ILLV-

ILLVSTRISS: ODROWAZIORVM
DOMVS
Ducali Materno è Sanguine
ILL^{MAE} ANNÆ A STEMBERGK,
Origini
Gentilitium Telum cum SOLEA arctiſſimo colligatum vinculo ſuo in Clypeo expreſſum deuouet.

Coniunxit thalamus SOLEAE *ODROWAZIA Tela,*
Bellonæ rigidis horrida tela minis:
Docta vel hoſtiles ferro configere vultus,
Horrenteſq; pilis deſpoliare genas.
Quod SOLEAE *pretium eſt, inter crepitantia Martis*
Arma? hoſtile metet forſan & illa caput?
Hanc pro mandibula Samſonis dextra tuliſſet;
Nonnè Philiſtæam ſtrauerat illa manum?

IOANNES FREDRO.

ILLVSTRISSIMA GENS
CHODKIEWICIA,
tot palmis & laureis, tot inſignium victoriarum monumentis, ſed maximè detriumphatâ Oſmanni Turcarum Tyranni barbarie nobiliſſima,
INCLYTÆ PARENTI,
ILLVSTRISS: ANNÆ CHODKIEWICIÆ,
PALATINÆ VILNENSIS,

A ſuo

A suo Gryphe in Clypeo descripto, prono vultu debitæ adorationis obsequium præstari iubet, & SOLEAM ipsius Honoris ergò gestari.

GRryphs Argo melior, vigilantior atq; Dracone,
Gazophylax fului dicitur esse luti:
KOSTKANAM SOLEAM *Patriæ nunc seruat & Orbi*
Gryphs CHODKIEWICIAE *gloria summa Domus.*
Ille vel hac SOLEA *radians erat hostibus horror,*
Illius hoc timuit Thracia Luna iubar.
Tandem hoc ille decus Patriæ legauit Amori;
Pignore tam caro carius ecquid erit?

ANDREAS TRZCINSKI.

ILLVSTRISSIMVS LVBOMIRSCIORVM SANGVIS,

Aureus veræ Torrens Gloriæ, ILL^MAE ANNÆ A STEMBERGK *SOLEAM*

Præfulgidum patrio Amni affudisse iubar, & in eodem tanquam pretiosissimum connubij thesaurum à Fortuna depositum conquieuisse, suo Clypeo gloriatur.

PRæcipitat vitreas Amnis LVBOMIRSCIVS vndas,
Ingentes Patriæ gurgite voluit opes.
Esse voles Gangem? Ganges est gemmifer; Hermi
Esse voles lymphas? aurifer Hermus erit.
Esse voles Nilum? fœcundi vt flumina Nili
Hauriri è gremio vult benefacta suo.
KOSTKANAM huc iecit SOLEAM *Fortuna: quid erro?*
Sectus fortè Tyches annulus illa fuit.

STANISLAVS BRANICKI.

ILLVSTRISSIMA ET
CLARISSIMA
Amplissimis Regni Honoribus
ZAMOSCII Generis Celsitudo
AVGVSTÆ MATRI
JLLVSTRISSIMÆ
CATHARINÆ,
REGNI CANCELLARIÆ, &c.
suum pijssimo affectu consecrat
Clypeum,
In quo SOLEAM cum SARIIS HASTIS connexam, Magnum Patriæ decus ac præsidium, suo Minerua graphio depinxit.

ARmipotens SARIIS *fidit Bellona Sarissis,*
Armatoq; pedes turgida fidit equo.
Huîc SOLEAM KOSTKANA *Domus donauit & ANNÆ,*
Huîc via Sanguinei lubrica Martis erit.
Thrax Lunas atq; arma moue; arma ZAMOSCIA *contra,*
Contra te SARIVS *firmior ibit equus,*
Pegasus hac tectus SOLEA *non cespitat iste,*
Hoc hostile petet fortior hasta latus.

STEPHANVS FREDRO.

ILLVSTRISSIMA ET
CLARISSIMA
Amplissimis Regni Honoribus
ZAMOSCII Generis Celsitudo
AVGVSTÆ MATRI
ILLVSTRISSIMÆ
CATHARINÆ,
REGNI CANCELLARIÆ, &c.
suum pijssimo affectu consecrat
Clypeum,

In quo SOLEAM cum SARIIS HASTIS connexam, Magnum Patriæ decus ac præsidium, suo Minerva graphio depinxit.

Armipotens SARIIS fulsit Bellona Scythis,
Armatoq; pedes turgida fixit equo.
Huic SOLEAM KOSTKANA Domus donavit & ANNÆ,
Huic via Sanguinei lubrica Martis erit.
Thrax Lunas atq; arma moves; arma ZAMOSCIA contra,
Contra te SARIVS firmior ibit equus,
Pegasus hac tectus SOLEA non cespitat iste,
Hoc hostile petet fortior hasta latus.

STEPHANVS ERBRO.

MONV-
MENTVM
HEROICA-
RVM
VIRTV-
TVM

Sit exanimi viuax Quis- in marmore Virtus
quis es
Viator
Siste gradum
Et pauca perlege
Quas hîc Pyrami-
das vides:
A N N Æ
à STEMBERGK
DVCISSÆ OSTROGIENSI
PALATINÆ VOLHINIÆ
Vitâ quò magis lapideâ,
eò perenniore viuunt.
H A N C
Cum Patriæ luctu, Suorum lachrymis,
XXX. Octobris die, mortalitate exutam
A N N O M. DC. XXXV.
Crudelis Parca fatali supposuit vrnæ:
Pietas fatis ereptam vitâ meliore auxit.
Neq; enim hîc
Decempeda humana fragilem docta laborem: sed Virtus ingeniosa constantis domina cœli desudauit.
Quidquid est quod cernitur
CONSTANTIA Erexit, FORTITVDO firmauit, RELIGIO disposuit, SVI VICTORIA sculpsit, PVRITAS expoliuit, TOLERANTIA ornauit, ÆTERNA FELICITAS depinxit, Diuinorum CONTEMPLATIO illustrauit, LIBERALITAS inaurauit, AMOR DIVINVS accendit.
SIC DVCALI DIGNVM GLORIA SED IMPAR VIRTVTI
KOSTKARVM ÆTERNO LVMINE CLARET OPVS.

FORTI MV- LIE- REM TVDINI

FORTEM
VEL IN ME-
DIO SOLE
CYNICI PER
ORBEM SCRV-
TENTVR LVCER-
NIS. RARA AVIS IN
TERRIS, IMò NATV-
RÆ PRODIGIVM
EST, MVLIER NON MVLI-
ER. VITRVM ESSE AE-
RIS INSTAR, CRYSTAL-
LVM ADAMANTIS INSTAR
VOLVMVS, CVM FRAGILI
IN CORPORE ROBVSTOS
ALCIDÆ ANIMOS. EN SAR-
MATICÆ FORTITVDI-
NIS GLORIA, INGENS
ANNÆ DE STEMBERGK
ANIMVS, VT SESE VIRVM PROBAT,
ET QVòD IN KOSTKARVM SANGVINE
MENTIS EXVNDET CHALYBS. O DVCA-
LIS ANIME, TIBI ROMANÆ CLOELIÆ,
VEL AMAZONVM, TIBI IVDITHÆ AVT
IAHELIS MAGNI DANT PALMAS ANIMI.
MAIOR HIS ES, IMò TEIPSO MAIOR
ES, CVM NATVRÆ AC TVI VICTOR
ES. PROFLIGARE TE LIBITINA VO-
LVIT, CVM ALEXANDRVM CONIV-
GEM, CONSTANTINVM AC IANVSSIVM
LIBEROS, MAGNAS SPES PATRIÆ, SED
BREVES PROFLIGAVIT. QVIS TANTA IN
CLADE, CLADEM NON FERRET ANIMI?
QVIS IN TOT FVNERIBVS NON ESSET FV-
NVS? TV TAMEN INFRACTVS STETISTI IN
GRADV TVO. VIX NON IDEM ERAT DOMVS
OSTROGIÆ QVOD TVÆ SOBOLIS SEPVL-
CHRVM, NON TAMEN MAGNANIMITATIS.
TVNC QVOQVE VEL FORTIOR INVICTÆ DVCI ADHÆSISTI,
CVM AB EA LETHO DISCEDERES, VT MORS IPSIVS MORTIS FIERES.

Albertus Kozłowski.

E-
CONS xurge, exurge TANTIÆ
KOST-
KARVM
capiti per
petuo mo-
les victura sę-
clo. Monumē
tum hic decet es-
se cōstantiæ; quod
posteritas miretur;
Lechia veneretur; or-
bis adoret. Cecidit in hac
valle, non Cyrus clade ma
gis, quàm armis, terrarum
imperio notus. Sed ipsa Du-
calis Constantiæ telo deiecta,
procubuit Inconstantia. Huic
palmata in ceruice regia Rhodo-
gune manus herbāq; dederat. Hu-
ic non vna Thomyris lemniscatis de-
cora gemmis, in præmium leuitatis de-
tulit cruorem. Vicit incruento marte ne-
scia vinci Ostrogia laurus: in vita enim ma-
gnam magis fortunā experta, quā constan-
tē, insignes numerauit palmas; dum constā-
ter viuendo constantissimè occubuit. Parum
censes? audi maiora. Coniugalis tori Principem,
in qua vnā religionem viderat, cui merito resisten-
dū putârat: multa cùm tulisset tandē vicit constantiā,
vt is vel extremâ fati horâ in Orthodoxæ religionis ca-
stra euolârit. Solē crescentis gloriæ occidentē eo tulit ocu-
lo, quo spectarat oriētē. Inhiātes nomini suo hostes (nā & in
hoc eam probari voluit constantia circo) sustinere volebat,
reprimere nūquā. Verbo dicā. Inexpugnabilis propositi sedes,
arx inconcussa recti, in maximis virtutibus Regiam fouit ani-
mi magnitudinem adeò tenaciter, vt tanquā Fortunæ domina nec
prosperis, nec aduersis vultū vnquā mutârit. O digna Ducum pecto
re Maiestas! cui perenni marmore gratatur Constātia: necte corollā in
seras Olympiadas; tænia si desit, aderit ÆTERNITATIS ORBIS.

Matthias Gołecki.

SVI AFFLI O-DI POP- CTATIONI
PÆÆ
CLEO-
PATRÆ
QVE DE-
LICIAS,
ET SI QVID
SYBARITI-
CO ARRI-
DET GENIO.
NON IN CYGNI
PLVMIS, SED SA-
XO HÆC, QVAM
LOQVOR, QVIE-
SCIT SAPIENTIA. NI-
HIL HIC MOLLE AC
BYSSINVM, MARMOR,
GERO; SED RIGIDVM SA-
XEVMQVE CONTRA SE,
ET FASTVM, ET VOLVPTA-
TEM ANNÆ DE STEM-
BERGK ANIMVM. QVAM
BLANDAS ALIIS CHARITES,
TAM HOSTILEM SIBI OSTENTA-
BAT ANIMVM: QVANTA ALIIS MA-
TER, TANTA SIBI EXTITIT NOVER-
CA. DVCALI IN SOLIO NON RARAM
VIRTVTEM SESSITARE DOCVIT, HVMI-
LEM MAIESTATEM, CVM FORTVNAM,
ET ORBEM, ET SE INFRA SE POSVIT. TVNC
VERA DVX VISA EST, CVM SERVILE PASSI-
ONVM AGMEN SVB HEROINÆ RATIONIS
DVXIT IVGVM. NON ARGVENDA LÆSÆ
MAIESTATIS, QVOD VOLVNTARIA SVÆ
ALIENÆQVE MANVS ESSET MASTIGIA: SIC
ENIM SVB PERSONA AVGVSTA, DEI MAN-
CIPIVM AGNOSCI TRACTARIQVE VO-
LVIT. OPTABAT CARNEM CONTINVO AF-
FLIGI, VT SPIRITVS VIVERET. SEVERIVS
QVIPPE ILLA HABENDA EST, QVAM INDVL-
GENTIA PESSVNDAT. DISCE HINC VOLVN-
TARIVM TVI TORMENTVM, QVOD DEI CARITAS
IMPERAT, VITÆ FOMENTVM ESSE. AFFLICTATIO-
NEM PROPRII CORPORIS ESSE ANTIDOTVM SALV-
TIS. ODIVM SVIIPSIVS MAGNAM ESSE PHILAVTIAM.

Hyacinthus Krasowski.

 TOLE-

TOLE *Sta-
bo quā
diu me
ſtare vo-
lunt Su-
peri: vo-
lent autem
ad perennem
æui immortali-
tatem. Regnabo
Pyramis æuitatis glo
riâ incocta, ad omnis
tēpeſtatis liuorē infracta* RANTIÆ
ANNÆ ASTEM-
BERGK DVCISSÆ
OSTROGIENSIS
PALATINÆ VOLHI-
NIÆ *inuictâ fortunâ contra
fragilem mortalitatem pugnatura.
Cui ipſe polus arcum gloriæ; ſidera
lauream; generoſa rebus in arduis Pa-
tientia culmen hoc componit. Sic mili-
tat Principi gloriæ omnis Patientiæ ma-
nus: cui tota vita Principis in demiſsione
militauit. Nulla ei laus, niſi fortia agendo & patiendo dignitatem Ducali mitræ magis dare, quàm accipere glorioſum duxiſſet. Pacis vera Parens, quia vera Patientiæ filia. Aulam vbiq; Patientiæ fabricans; aulis Pacem reddidit. Quacunq; enim inceſsit, palmam ei tolerans virtus obiecit, vt quo fortiùs premeretur, altiùs exurgeret. Ad ſpectacula theatrum Orbi addidit, ſed nouum; quia Patientiæ: ne deeſſet, in quo ludum ipſi Cœlites Deo darent. & illa Cœlo plaudendo, ſpectaculum ſeipſâ dare nobilius non poſſet. Digna ſpectari, quæ vt Pacem pareret; nupſit, à morte coniugis, Patientiæ. Digna ſpectari, cuius cœci etiam in vitâ, morbis, & morte ſpectârunt Patientiam. Digna ſpectari, quæ iniquitatis, æquitate: iniuriarum morſus liniuit obliuione. Sed hem immitis Parca, quàm ſerò datam, citò rapis! iubes eam cedere diuino fato; quæ exceſsit humana facta.*

Caſimirus Koſowski.

MEN-

MENTIS PV RITATI

VIR
GINE
VM ET
SINE
MACV-
LA AS-
SVRGO
MARMOR.
TESTIS ANI-
MI NON FE-
RENTIS MA-
CVLAM: A MA-
CVLOSO ENIM
ORNARI QVOD
ODIT MACVLAM
MACVLA EST.
ANNAM DE STEM-
BERGK AIO MAGIS
ODISSE DELICTVM,
QVAM MVS ARME-
NIVS COENI ATTA-
CTVM. LYNCEOS ILLA
HABVIT OCVLOS, VT
NÆVVM IN CRYSTALLO
QVÆRERET. FVISSET COR
IPSIVS SOL ILLIMIS, ET IN
EO SCRVTATA FVISSET NÆ
VVM, VEL MINIMVM. TAM
PERSPICACEM NACTA EST
TVBVM DIVINI LVMINIS OP-
TICVM. AVRVM ERAT OBRYZVM,
AD LYDIVM TAMEN MENTIS LA-
PIDEM QVOTIDIE VOCANDVM, I-
MO AD FOCVM DIVINI AMORIS, NE
QVA SIBI INESSET SCORIA. CANDI-
DATA MENS BEATÆ ÆTERNITATIS,
VT PVRA SEMPER NITERET TOGA BIS
QVOT HEBDOMADIS MOETANEÆ LA-
VABATVR LACHRYMIS: NE DEFORMA-
RETVR MACIE, DIVINA PASCEBATVR
CERERE. FONS PELLVCIDVS VEL VMBRAM
HORREBAT LIMI. QVID NOS CAMELI TVR-
BAMVS CONSCIENTIÆ FONTEM, NE DEFOR-
MITATIS PVDEAT? QVID TE, NARCISSE, PIGET,
VT TVI VVLTVS MACVLAS SIMILI CONTEM-
PLERIS IN SPECVLO, FLOS COELI FVTVRVS? PVRI-
TAS HÆC MARMORIS MACVLAS VVLT TOLLI TVAS,
CVM FORTE SVDAT, LACHRYMAS BIBIT TVAS.

Stanislaus Didinski.

Amori

AMORI Da- Te viam SIDERA. DIVINO

Conuol-
ue Signa
Lunaſq; tu-
as erratica pla
netarũ cohors,
Ignitæ pulſat a-
ſtra aquilæ coloſ-
ſus. Quidquid hîc
eſt, tanto minus eſt
animo: cui ſoli gemi-
nus paruus & Orbis e-
rat. Præmiſit ante ex ſuo
horizonte non vnũ vobis
Phanetem: vt vel cum cœlo
ei eſſet cognatio. Reliquit Ter-
ris Illuſtres floſculos, vt ſua quo
qúe Mundo adeſſent ſidera. Secu-
ta & ipſa claræ viam ſobolis, vt idẽ
Olympus, qui filiorum radiantes
gemmulas obſtupuerat, Materni So-
lis acceſſu etiam reſplenderet. Timetis
ignem ardentis Aquilæ? illuſtrare, non
incendere didicit, niſi qui Deo plenus ar-
dere cupiat. amicus ille, quia diuinus: hæc
quiquid erat terrenum, exuit, dum ardere
cœpit. Torrido amoris cœlici perfuſa nimbo
cum flammis diuinitatem induit: vt eius pur-
purâ in luce æterni Solis fulgeret, cuius ignibus
antè in tenebris caducæ Lunæ arderet. Gentilitiũ
Splẽdorẽ: Ducalẽ mitrã: Patrias opes ita lucere paſ-
ſa, vt incenſa Diuini amoris lampade extingueret:
Hanc ſolam verè lucem rata, quæ Patriæ, Eccleſiæ,
DEO, ſoli & ſemper luceret. Ergo tantæ date viam aliti,
quæ & ignes in triũpho ducit, dũ occidenti Lunæ conſtruens Monumen-
tũ, Amoris cœlici perenne haud morituro Soli accendit Munimentum.

Ignatius Brodowski.

RELI GIONI

RE-
LIGI-
ONE
DVCE,
PIETA-
TE PRO-
DROMA
HVNC HO-
SPES ACCE-
DE TERMI-
NVM, QVO DV
CALIS CLAV-
DITVR MORTA-
LITAS. NAM IM-
MORTALITAS
NESCIT TERMI-
NVM. MAGNOS MA-
NES AVGVSTÆ DV-
CIS ANNÆ DE
STEMBERGK
PRONVS HIC ADORA
ET VESTIGIA SVAVIIS
PREME, QVAM MAGNI
TONANTIS LATRIA
MATERNIS EDVCAVIT
IN VLNIS: SANCTORVM
DVLIA SVO NVTRIVIT
LACTE. INTER AVITA GEN-
TIS DECORA CVM SANGVI-
NE KOSTKARVM ET ODRO-
WAZIORVM SE ILLI PROPI-
NAVIT PIETAS. D. HYACINTHVS
EX MATERNI GENERIS HYMET-
TO DEDIT ESSE VIOLAM COELO
FRAGRANTISSIMAM. IVO ET PRAN-
DOTTA SVIS INFVLIS CONSECRA-
RVNT CVNAS. SOLEA STANISLAI
KOSTCÆ, RELATA INTER SIDERA,
SOLEÆ IPSIVS LVCEM ATTVLIT, VT
DEO LVCERET ET ILLI, TERRIS ET
SVPERIS, SIBI ET PATRIÆ. VT LVNA
SOLI, ITA HÆC ILLI, QVIDQVID LVCIS
HABVIT, ACCEPTVM RETVLIT, ET SE VE-
CTIGALEM FECIT. DIGNAM SE BEATVS IV-
VENIS NACTVS NEPTEM, A QVA OMNE TVLIT PVN-
CTVM ET HONORIS, ET AMORIS, CùM OCTIDVVM
PIETATIS SVPREMA SIBI VOLVNTATE DONATVM,
SIMVL CVM VITA FINIIT. SIC A SANCTO STIPITE NON
DEGENERES DECET PRODVCI SVRCVLOS. SED RARO TRAHITVR PIE-
TAS, A PIORVM RADICE HEROVM, RARIVS CONSERVATVR ATTRACTA.

Stanislaus Sczucki.

DIVINORVM HOS PES, CONTEM-
quem
PLA cunque TIONI
DEVS,
aut fortu-
na tulit: mo
rare paulisper
& mirare. Mo
numentum quod
vides, non armis,
aceruisq́ Barbarorũ
crescit: sed pietatis ho-
nore culmẽ attollit. Mor-
talem Principem tegit: cui
tot immortalitatis pullulârũt
laureæ, quot vita destinârat
momenta. Vixit enim non sibi,
sed Cælo, Ecclesiæ, Patriæ, Vir-
tuti, Naturæ, vt æternum viueret.
Aeternos aspirans triumphos, vni
semper pugnabat Aeternitati. Rebus
vsa caducis tanquam relictura; Solam
inquisiuit Patriam, quam diuina meditãs
vt inuenisset, nihil humana morans patriã
reliquit, rata, tunc se verè victuram DEO,
si terris viuere desiisset. Et desiit. Eam tamen
licèt mortuã, Amor in DEVM, *merita in fami-*
liam, obseruantia in amicos, terrenorum despici-
entia, Diuinorum contemplatio mori non permittũt.
Genus illi à sanguine Regum: Opes Principum: Maie-
stas, quæ paucis. quia tamen hæc in maxima luce, occubẽ-
ti propiora diei, quàm auroræ surgenti magnifica magis
nomine, quã lumine astra, sub pedibus habens calcauit. Malu-
it occumbere, quàm semper exortum animo non comprehendere
Solem. Satis contenta si pectore Cælum conclusisset: vt caducis
mortua, diuinis intenta, solis viueret astris. Vis dicã nomen? Lege.
ANNA à STEMBERGK DVCISSA OSTROGIENSIS PALATINA VOLHINIÆ
hac mole premitur, nõ opprimitur. quia humanis moriens, diuinis viuens, mor-
tua nunc meliore sui parte viuit: Animo in cœlis, famâ in terris. Abi sospes,
hoc te volebam; & adorans scito esse in Polonia, quod Orbis miretur.

Adamus Giebułtowski.

Æ-

ÆTERNÆ TER- NITA- FELICITATI

TI STE-
TI NON
TEMPO-
RI, NON
CAVRO-
RVM LVDI-
BRIVM, SED
SOLIDÆ QVI-
ETIS LARARI-
VM. MECVM O-
LYMPVM INTV-
ENS, POST NVBI-
LA PHÆBVM, POST
TEMPESTATES MA-
LACIAM, DVM SPI-
RAS SPERA. VIVIS;
INQVIETVM NAVI-
GAS ADRIAM: VIXISTI,
PORTVM TENES. BEATI-
TATIS CERTE, SI INOF-
FENSA RATE SCYLLAS ET
CHARYBDES VICISTI VIXIT
DECVMANAS INTER FORTV-
NÆ PROCELLAS ARGO NO-
BILIS ET KOSTKARVM GLORIA

ANNA DE SIEMBERGK,

VICIT ÆSTVANTEM MORTALITA-
TIS PONTVM, ET IAM PERENNE
SIBI CANIT CELEVSMA. AD COELI
BRAVIVM PER SPINOSVM HIPPO-
DROMON, AD CORONAM ET FASCES
BEATORVM PER LATENTIBVS VNCIS
CLAVISQVE CONSITA MVNDI STADIA
GRESSV NON CESPITANTE SVAM SOLE-
AM DOCVIT CONTENDERE, IVSSITQVE
ILLIVS CRVCES TERRÆ SPOLIVM RELIN-
QVI. ROSAS IMMORTALES E TRIBVLIS,
QVOS CALCAVERAT, COLLEGIT IPSIVS
TOLERANTIA, VT SIBI STEPHANOMA NE-
CTERET. ASTRÆA SEMINAVIT IN LACHRYMIS
VT IN GAVDIO METERET FRVCTVS. VIRTV-
TES IN SOLE AC PVLVERE STRENVE SVDA-
RVNT, VT LAVREAS AC TRIVMPHOS MERE-
RENT. OMNIBVS VISVM EST SPOLIVM TEMPO-
RIS, QVICQVID FERENDVM FVIT, IN LVCRVM
AC FÆNVS PERENNITATIS MVTANDVM. ITE AD-
VERSÆ SORTIS ODIA. ITE PATIENDI TÆDIA. SVPE-
RANDA OMNIS FORTVNA FERENDO. DOLVISSE OLIM
FRVCTVOSVM EST, NVNQVAM DOLVISSE NOXIVM. PVNCTVM
EST QVOD PATERIS, VNDE DESCRIBETVR ÆTERNITATIS CIRCVLVS.

Ioannes Leśniowski.

LIBERA Cer n è LITATI

posthu-
ma sub-
sequentis
sæculi po-
steritas. Sa-
xum hoc Au-
reæ Liberalitati
ANNÆ A
STEMBERGK
Ducissæ Ostrogiensi Pa-
latinæ Volhiniæ fulgu-
rat: Cui nunquam Polonus
Orbis, quod satis est, exoluet:
cui semper vel ipsi Cœlites
plus aliquid debebunt. Ea cùm
claritatẽ non magis à maioribus,
quàm à virtute accepisset Amor &
delicium bonorũ extitit. Liberalitati
se Matrẽ, pro Matre donans: vt Ma-
tris mores, vnà cum Principe mitra assu-
meret. Vixit igitur cum Ciuibus vt Parens
cum liberis: Principis vbiq; incorrupto hono-
re; in vitâ Principum hoc beatissimum iudi-
cans, beneficiis non vinci, & à conspectu tristẽ
dimittere neminem. Liberalitatis armis omnibus
cùm indixisset bellum, vnam è filiabus Regno Can-
cellariã, reliquas Russiæ, & Vilnæ Palatinas dedit.
Qua in luctâ nec Religioni pepercit. Namq; templa Di-
uorum non Ducali sed Regiâ magnificentiâ erexit: Et vt
esset in quo Matrem vinceret: (quod hîc pietatis est) san-
guinis sui hæredem filiam, nouo Ducali Collegio Fundatricem,
aliis omnibus Clementissimã Parentem dedit. Demum cum om-
nia bene, & liberaliter fecisset, auitum ab ore subtraxit obryzum,
vt auream CHRISTO *propinans liberalitatem aureum in Terris*
DEO *viuenti conderet ferculũ. Felix aurum, quod sic donatur, vt*
non aurum, sed Deus, ab ipso Deo redonetur. Viue generosa Princeps;
nõ poteras aurũ Ducali mitræ præstantius addidisse, quã cũ exuisses, vt Deũ ve-
stiuisses. Sed en morte præuenta maiore Liberalitatis dãno, quàm suo è vita
discedit! sic est. Inuidiosa visa fatis felicitas, tã liberali Principe tam diu frui.

Stanislaus Sczucki.

AVDISTI HOSPES
Loquax ſilentium Marmoris;
Elingue illud locutum eſt, etiam ſaxeis ad honeſtatem animis:

Non tamen ſaxa & ſilices.

SED

Lectiſſimas Virtutum gemmas.

Non tam hoc animauit ad vocem cithara Apollinis,
vt olim Megarenſe ſaxum:
Non tam exciuit melos Orphei, quàm melliſluus virtutum concentus, & vitæ ſanctioris harmonia ad collocandum iſtud pulchro ſtationis ordine Monumentum Gloriæ, vel certè ſpecioſè coronandum Pyramidum choro.

NEQVE VERO

Has moles Parij aut Caryſtij montis exciſas iugo credito; Sed potiùs corda beneuola, & animos funereo luctu & lachrymis contabeſcentes, Niobæo more transformatos in Marmor, ſeu intuitu exanguis ac letho decolorati vultus Illuſtriſſimæ

ANNÆ DE STEMBERGK

in ſaxi rigorem mutatos meliùs, quàm Meduſæi capitis aſpectu.

HÆC SAXA

Phœbus Occidens Ducalis ætatis, ſeu potius immortalitatis Oriens, (vt quondam Memnonis marmor lucidiſſimus hic terrarum oculus quotidie renaſcens) ad canendum perculit, non aliud epos, niſi occaſuram nunquam tot egregiorum decorum atq; ornamentorum gloriam.

Porrò quæ par fuerat in ipso Pyramidum cœlo minantium vertice (vt totius Orbis paterent oculis) collocare Epistemmatica Ducalis Gloriæ symbola : ea redimita cupresso suprà memoratarum virtutum Pietas sibi propriâ Mineruâ repræsentanda depoposcit.

ÆTERNA FELICITAS

In sui annuli, qui Æternitatis Hieroglyphicon est, gemmâ exsculpit SOLEAM Illmæ ANNÆ DE STEMBERGK, è qua cælitùs demissa dextera Gentilitias reuellit cruces, & illi inter sidera designat locum.

ITE CRVCES : ABSQVE HIS LVCEBIT OLYMPO.

QVidquid in Orbe nitet, quod Titan excoquit auro,
Quod vomit & Tethys, nil nitet absq; cruce.
Sceptra, Magistratus, Fasces, Crucis omnia plena,
Auro plena Midæ scrinia, plena Crucis.
Et SOLEAM *cinxêre Cruces Insigne Ducissæ,*
Cùm posita in terris spargeret illa iubar.
De SOLEA *nunc ite Cruces, it fulgida cœlo,*
In cœli gremio non decet esse CRVCES.

Ioannes Stawski.

VOLVNTARIA SVI CASTIGATIO

In Myrrhea celat tabula : SOLEAM A LIMA POLIRI.

PVRIOR ATTRITV.

SPlendet ab attritu, Maiam dum scindit, aratrum,
Vomeribus lucem gleba terendo facit.
Purior attritu est Pactoli limus & Hermi,
Cum chalybe attritu pulchriùs æra nitent.
Sæuit in innocuum sancto dum verbere corpus,
Et niueos plagis atterit ANNA *toros.*

Nonnè

Nonnè ſuam limat SOLEAM*? rubigine lædi*
KOSTKARVM SOLEAM *tam pia lima ſinet?*

Balthaſar Przerembski.

FORTITVDO

In ærea Columna ſtylo ferreo deſcribit SOLEAM, quæ edaci Struthionis ore manditur.

NON COMMINVES.

STruthio non trepido crudum vorat ore metallum,
Illius & SOLEAS *mandit auara fames.*
Ferriuoræ volucris ſtomachus iam ceßit in Æthnam,
Natiuo coctus ſi liquet igne chalybs.
Mors quoq; ferratis nunquam ſatiata cateruis
A STEMBERGK SOLEâ *vis ſatiare gulam?*
Sicnè chalybs ſapit iſte? tuam ſolatur orexim
Ille, ſed in noſtro pectore morſus erit.

Georgius Stawski.

RELIGIO.

In Virgine cera effingit SOLEAM, quam altera è nube affulgens Auguſtiſſimum IESV nomen ſuis complexa brachijs, aurea catena adducit Olympo.

MODO TRAXERIS, IBIT.

TRaxit ad Empyreas SOLEAM SOLEA *altera ſedes,*
KOSTKANÆ cœlum ſuſtulit Arma Domus.
Hæc ANNÆ decus eſt, iuuenis decus illa Beati,
Vtraq; in aſtrigeris conſociata plagis.
KOSTKA ſuam traxit neptem STANSLAVS ad aſtra,
ANNÆ de STEMBERGK, *gratus amoris erat.*
Gratus Honoris erat: ſociam ſibi iunxit & iſtam,
Nam SOLEAM *ſolam noluit eſſe ſuam.*

Nicolaus Stawski.

CONSTANTIA

In solido Adamante excudit SOLEAM inter incudem & malleum positam.

ADVERSIS NON FRANGITVR.

DExtera Marcellos si fors Vulcania stringat,
Incus sub SOLEA *si Liparæa gemat,*
Comminuet SOLEAM. *Chalybæi pectoris ANNÆ*
Frangere vis SOLEAM *scilicet vlla potest?*
ANNAM cæca Tyche geminato grandinet ictu,
Pulsent densatis fata sinistra malis:
Non frangent. citiùs Fortunam fregerit ipsam
Durior ad pulsus hic adamante chalybs.

Ioannes Woiakowski.

TOLERANTIA

In Porphyretico marmore elaborat SOLEAM insignitam Crucibus.

MIHI GLORIA CRVX EST.

GLoria prima tuis Crux, Constantine, maniplis,
Romanis Aquilis gloria prima, Cruces.
Victor in his signis Tarpeîam scandis ad arcem,
Mille parant palmas, mille trophæa Cruces.
Crux quoq; KOSTKANIS non vltima gloria signis,
Et Crucibus SOLEAM *munijt ANNA suam.*
Ridet in his Signis aduersæ spicula sortis,
Nullas non Crucibus vinceret illa Cruces.

Petrus Woiakowski.

CON-

CONTEMPLATIO COELESTIVM

In lapidis Hyacinthi æquore excidit SOLEAM, quæ ſeſe per lacteam cœli viam latè porrigit.

PLACENT COELESTIA.

POrrigit in Superis ſeſe via lactea campis,
Luce ſua albeſcens pandit Olympus iter.
Pergite KOSTKARVM SOLEAE, *decurrite cœli*
Sidera: nulla, puto, ſerpere nouit humi.
Virtutis ſtadium, ſtadium monſtratur Honoris,
Currite, iam greſſu præuolat ANNA ſuo.
ANNA ſuam SOLEAM *iubet alta per aſtra vagari,*
Hæc calcare ſolum nouerat, aſtra ſciet.

Stanislaus Tarnawiecki.

AMOR DEI

In Auro vel Carbunculo exprimit SOLEAM flammis candentem.

IN IGNE VIDEBITVR AVRVM.

KOSTKANAM SOLEAM *cœleſti ardere camino*
Credis, in Empyreis dum flagrat ANNA focis?
Ferrum erat, in flammis cœleſtibus induit aurum,
Aurum eſt dilecti cùm rubet igne Dei.
Frigida ſi ferri ſub pectore vena rigeſcit,
Numen ama, & fului chryſea maſſa Tagi es.
Scit Diuinus Amor mutare metalla metallis:
Solus ad has artes ingenioſus AMOR.

Thomas Brzezinski.

LIBERALITAS

In ſua Carbaſo artificioſè depingit acu à Magnete attractam SOLEAM.

ALIENA MIHI COR TRAXIT EGESTAS.

Attrahit obiectum virtus Magnetica ferrum,
Ferratæ SOLEAE *pondus & illa trahit.*
Quos vrit Fortuna Codri, quos triſtis egeſtas,
Sunt magnes SOLEAM *qui trahat ANNA tuam.*
Attrahit hic pronas ad danda numiſmata palmas,
Ad Cererem & plenâ Munera danda penu.
Qui trahit ad miſeros ANNÆ pia pectora Magnes,
Ad nitidos SOLEAM *fors trahet ille polos.*

Georgius Leśniowski.

PVRITAS CONSCIENTIÆ

In puriſſima Cryſtallo repræſentat SOLEAM quàm politiſſimam, Solis diuerberatam radiis.

ABSQVE VLLA RVBIGINE SPLENDET.

Qvadrupedans crebro poliit quam tramite greſſus
In SOLEAM *Titan aurea tela rotet.*
Vt ſpeculum ſine labe iubar vibrabit, & auctâ
Luce volet ſudum puriùs ire diem.
KOSTKARVM decus ANNA domûs, te nonnè poliuit
Virtutum illæſo ſemita trita pede?
Lucebis nullâ ſceleris rubigine tincta,
Dum Solis radios excipis ore DEI.

Nicolaus Potocki.

Celebritas finita eſt. Exi: diſcede vt gratus, vt verecundus, da locum alijs. Oportet alios naſci, vt & tu natus es.

Epictetus lib: 3. diſſert: c. 26.